



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-067).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telefon: 868-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

De Stephano e nobilibus Horthy Vice-Gubernatore¹ Hungariae.

Di 19. Februarii utraeque domus consilii² publici³ Hungarici vice-gubernatorem creandi causā, qui ut crearetur, Gubernator noster per legem nuperrime promulgatam — quamquam neminem ad hoc officium designans — postulavit, acclamatione⁴ consentiente filium Gubernatoris, Stephanum e nob. Horthy vicarium eius creaverunt. Stephanus Horthy anno 1904-0 natus mediis scholis absolutis in Universitate Budapestinensi diplomate magistri⁴ machinarum⁴ adepto iter circulare maius diversas fabricas per totum orbem terrarum visitans fecit. Etiam in America operarius fabricarum Fordianarum multum temporis morabatur, unde in Hungariam reversus Vias⁶ Ferratas⁶ Publicas⁶ capessivit,⁵ quarum iam abhinc duos annos praeses est titulo secretarii⁷ status⁷ donatus. Stephanus Horthy praesidis socius praeest etiam Societati Exploratorum Hungaricorum ductoremque animatum iuventutis aëronavigantis se praestitit, qui etiam succenturio⁸ maior⁸ factus



Gubernator noster Nic. e nobilibus Horthy cum filio Stephano.

cum aëronautis militavit, necnon longa itinera aëria in diversis partibus orbis terrarum Budapestino etiam Londinium et Bombayam vectus permeavit. Stephanus e. nob. Horthy acclamatione vice-gubernator Hungariae creatus coram Gubernatore et senatu, postquam iusiurandum dedit, potitus est officio suo oneroso. Ad multos annos!

Alex. Weber, disc. Sch. Piarum Bp.

¹ kormányzóhelyettes = Stellvertreter des Reichsverwesers = remplaçant permanent du Régent
² országgyűlés = Reichstag = parlement
³ közfelkiáltás = mit einstimmigem Zuruf = par acclamations
⁴ gépészmérnök = Maschineningenieur = ingénieur mécanicien
⁵ szolgálatba állani = in Dienst treten = entrer au service
⁶ Államvasutak = Staatsbahnen = Chemins de fer de l'État
⁷ államtitkár = Staatssekretär = secrétaire d'État
⁸ főhadnagy = Oberleutnant = lieutenant.

LECTORIBUS MINIMIS

Jocosa.

1. *Gaudium pueri.* In quodam vico incendium ortum est; unum ex aedificiis flagrabat. Prope¹ conspexit dominus quidam puerum gaudio exultantem. Interrogavit eum, quare tam hilaris laetaretur. — Is respondit: «Nam schola nostra igni consumitur».

2. *Animus² vagus.* Professor nocte crepitu³ excitatus est. Timore perterritus exclamavit: «Incedit hic aliquis?» Fur respondit: «Nemo hic incedit». Tum professor dixit: «Certe hallucinatus⁴ sum»⁴ et aequo animo somnum continuavit.

3. *Gloria et pecunia.* Scriptor invidus ac se⁵ iactans⁵ dixit uni ex collegis: «Tu modo pecuniae causā, ego autem gloriae et honorum gratiā librum scribo». — Ad hoc ille: «Licet — inquit — tibi. Omnes enim earum rerum causā scribunt, quae sibi desint.»

4. *Oboedientia.* Magister in schola verba⁶ facit⁶ de oboedientia et inter cetera commemorat: «Omnes homines alicui obtemperare⁷ debent, etiam ego debeo. Quis potest dicere, cui ego oboedientiam debeam» Unus ex discipulis respondit: «Uxori tuae, domine magister».

5. *Donum avolans.* Adulescens magistro saccum dono apportat et dicit: «In hoc sacco pater meus tibi, domine magister, duas columbas mittit». Magister saccum inspicit et magna cum admiratione dicit: «At nullae sunt hic columbae.» Tum puer: «Illic eae assederunt in summo⁸ columbario⁹; nam subito evolaverunt mihi».

6. *Schola rustica.* Magistra unam ex discipulabus illotam¹⁰ venisse in scholam intellexit. Vehementer increpuit¹¹ puellam: «Unde est tibi tanta impudentia atque audacia, ut illotis genis¹² in scholam venias? Abi statim domum!» — Postero die cunctae discipulae illotis genis venerunt in scholam.

Julius Holpert abituriens gymn. Cisterciensium Bp.

¹ a közelben = in der Nähe = tout près ² szórakozottság = Zerstretheit = distraction ³ nesz = Geräusch = bruit sec ⁴ érzéki csalódás volt = es war nur Sinnestäuschung = j'avais des hallucinations ⁵ hengegő = prahlen = se vanter ⁶ loquitur ⁷ engedelmesskedni = gehorchen = obéir ⁸ tetején = Dach = toit ⁹ galambduc = Taubenhaus = colombier ¹⁰ mosdatlanul = ungewaschen = non lavée ¹¹ megszid = aussch. lten = réprimander ¹² vultu

Alex. Petöfi: Consilium omissum.

Convertit *Eva König* disc. Veresiani.

*Totā viā domum iens illud reputabam,
Quomodo sim vocatura matrem pridem visam.*

*Quaenam verba prima dicam ei cara, pulchra,
Cunas olim moventia tendenti brachia.*

*Venerunt in mentem mihi multa pulchra verba,
Tempus stare videbatur, dum processit raeda.*

*Intravi in cubiculum, pendebam ab ore
Matris, quae advolaverat, ut frux ex arbore.*

Rossini et Ecclesia Catholica.

Rossini, qui ante 150 annos, pridie Calendas Martias a. 1792 natus est, raro aegrotavit. 76 annos¹ natus¹ aegrā valetudine esse coeperat. Medici eum sanum facere non potuerunt. Parochus² Galby eum visitare voluit, sed uxor auctoris musici non sivit sacerdotem ad aegrum intrare. «Maritus meus usque ad hunc diem officio humano non³ defuit³, — inquit — nolo eum praesentiā vestrā commoveri.⁴» Sed parochus post paucos dies iterum advenit et poposcit, ut admitteretur.⁵ Auctor operum musicorum iam aegerimus erat. Sacerdos et poeta inter se sermonem longum habuerunt. Parochus quaesivit: «Credis-ne praecepta et veritates sacras Ecclesiae Catholicae?» Rossini hoc tantum respondit: «Qui opus «Stabat Mater» scripsit, impius esse non potest.» Parochus absolutionem ei dedit.

Carolina Szalay, disc. Angelani Bp.

¹ éves korában = Jahre alt = à l'âge de... ans ² plébános = Pfarrer = curé ³ satisfecit ⁴ felizgat = aufregen = exciter ⁵ bebocsát = Zutritt verstaten = laisser entrer

*Agricola et psittacus.*¹ Mercator quidam psittacum habebat. Avis in taberna in longurio² cupressae sedens ita emptores compellere solebat: «Cupis, inquit, aliquid?» Mercator psittacum hoc interrogare docuit. Aliquando ianua tabernae aperta manebat. Psittacus extemplo furtim se³ foras abripuit³ et in nuce⁴ rustici vicini evolans consedit. Rusticus adveniens, cum avem in arbore conspexit, scalas attulit, arbori admovit et lente, caute usque ad avem ascendit. Psittacus rusticum aspiciens: «Cupis, inquit, aliquid?» Rusticus perterritus balbutiebat: «Ignoscas,⁶ quaeso,⁶ domine, cogitabam enim te avem esse».

Tiburtius Kelemen, disc. Keszthelyensis.

¹ papagáj = Papagei = perroquet ² hosszú léc = Latte = latte ³ ellillan = sich aus dem Staube machen = s'éclipser ⁴ diófa = Nußbaum = noyer ⁵ dadog = stottern = balbutier ⁶ bocsánatot kérek = ich bitte um Entschuldigung = je vous demande pardon

LECTORIBUS MEDIIS

Nuntii recentissimi.


Nuntii bellici. Japonii plurimas insulas Indiae Batavae, sic etiam Iavam occupaverunt. Nemo est, quin miretur audaciam Japoniorum se¹ ipsos¹ periclitantium,¹ qui bini navicula submarina vecti naves maximas aeratas hostium submergentes saepissime etiam ipsi pereunt. Japonii iam viam in Burma provincia interruperunt, qua Sinenses Shang-kai Shek ducem sequentes adhuc tela aliaque instrumenta belli ab Anglo-Saxonibus accipere potuerunt. Americani quoque, ex quo Germani in aquis Americanis quotidie aliquot naves opprimunt, incipiunt intellegere bellum difficilius esse, quam ludos gymnicos. Angli ubique repulsi, Russiae bolscevistae auxilium ferre aliter nequeunt. Pyrobolis² de aëre deiectis civium pacatorum

¹ önfeláldozó = selbstaufopfernd = dévouement de soi-même ² bomba = Bombe

urbis Parisiorum, quibus non³ ita³ pridem³ sociis usi erant, 700 fere interfecerunt, multo plures vulneraverunt.

Nuntii varii. *Josephus Schmied*, rector scholae elementariae, civitate⁴ Falkensteiniensi honoris⁴ causam⁴ donatus, Vindobonae 91 annos natus vitam decessit. Quo mortuo filius eius, socius noster illustris, *Otto Schmied* rector studiorum superiorum patrem luget, cui etiam nos dolorem nostrum declaramus. — In *Circulo Latino* magistrorum mediarum scholarum Budapestinensium mensibus Ian. — Mart. latine disseruerunt *dr. Fridericus Brisits* de retroversione,⁵ *Eugenius Édes* de usu dictionarii latini, hungarice scholam habuerunt *dr. Rogerius Schilling* de exemplis syntacticis, *dr. Josephus Wagner* de nominibus Latinis rerum modernarum, *dr. Stephanus Borzsák* de recentioribus excavationibus⁶ intra fines imperii Romani.

Valentinus Fehér O. S. B. (1892—1942) †. Tristi casu nos hic mensis afflixit: unus ex sociis laboris nostri vetustissimis rediit ad Creatorem Mundi.



Val. Fehér.

Valentinus Fehér munere magistri in gymnasiis Ordinis Sancti Benedicti Iaurini,⁷ Scabarantiae,⁷ Strigonii,⁷ Ginsii⁷ et Papae functus optime de discipulis educandis docendisque meruit. Linguae Latinae paucissimi tam periti in Hungaria sunt quam fuit ille, quare quondam absente *Flia Kemes*, qui a. 1926—28 moderator IUVENTUTIS erat, eius mandatu duos fasciculos ephemeridis nostrae Val. Fehér aptissime composuit.⁸ Sed maximus erat in carminibus componendis, quem si cerneres incredibili volubilitate latinus versus scribentem, alterum Ovidium diceres, cui re vera «sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos.» Extra Hungariam nomen eius amicis latinitatis non solum propter multa pulchra carmina in IUVENTUTE edita notum erat, sed etiam propter tragoediam, quae inscribitur *Regulus*, in ephemeride clarissima «ALMA ROMA» editam.

Care Valentine, in coelis iam carmina pangens,⁹
Dum nos vita tenet, tui memores erimus.

³ nem is olyan régen = vor eben nicht langer Zeit = naguère ⁴ díszpolgár = Ehrenbürger = bourgeois honoraire⁵ de convertendo ex Hungarico in Latinum ⁶ ásatás = Ausgrabung = fouilles ⁷ Győr, Sopron, Esztergom, Kőszeg ⁸ szerkeszt = redigieren = rédiger ⁹ canens, componens

PALAESTRA LATINA. In fasciculo 71 anni XII huius ephemeridis Latinae (pag. 14) moderator *Josephus Ma Iméñez*, qui post rebellionem bolscevistarum in Hispania oppressam, quia conditor ephemeridis *Emanuel Jobé* a bolscevisis trucidatus erat, optime de PALAESTRA LATINA resuscitanda meruit, IUVENTUTI de 25 annis expletis gratulans sensus amicitiae exprimit. Sit igitur etiam amor linguae Latinae vinculum concordiae Hispanos inter Hungarosque in pugna pro libertate humana et fide christiana.

Laetissimas ferias Paschales ominamur caris nostris lectoribus sociisque omnibus.

Liber de artificibus musicis.

Julius Fodor arbiter elegantiae musicae egregius librum, qui «*Horologium¹ musicā¹ canens¹*» inscribitur, quodque permultae de musicis praeclarissimis commode scriptae ingenioseque dispositae continentur fabellae,² conscripsit. Quibus ex fabellis non modo ipsi musici, de quibus agitur, verum etiam singulae aetates, quibus ii vivebant, cognosci possunt. Ex hoc libro nonnullas elegimus fabellas, ut musicos, quorum opera in statione radiophonica Hungarica saepissime eduntur, cognoscamus. Liber 3.8 paginarum munificentia domus editricis *Singer et Wolfner* multis imaginibus ornatus sine dubio omnibus placebit.

1. Nobilitas obligat. *Francisco Liszt*, musico omnibus noto, aliquando in oppido parvulo concentus³ erat edendus. At studia⁴ oppiduli incolarum ne Lisztii quidem arte gloriāque poterant excitari. Duae partes exedrae⁵ odei⁵ vacuae erant. Quod Liszt minime curabat. Ii, qui concentui intererant, post singulos clavichordii⁶ cantus⁶ musicum praeclarissimum studiis ardentissimis celebrabant. Additamentis⁷ satiari non poterant Lisztiumque de pulpito⁸ descendere non sinebant. Cuius difficultatis Liszt ut finem faceret, se aliquid dicere velle manu significavit. «Nunc autem — inquit — dominae dominique, qui me auditis, quod sine molestia vestra fiat, liceat mihi vos omnes ad cenam invitare.»

2. Ne sit⁹ verum. *Brahms* vir erat semper apertissimus, quamobrem permulti erant ei inimici. Vir quidam Vindobonae dicacissimus¹⁰ hanc, quae infra legitur, de Brahmsio divulgabat fabellam: Brahms de convivio vespertino discessurus dominam hoc modo valere iussit: «Ignosce mihi — quaeso — domina, si quem convivarum laedere oblitus sim.»


3. Animus apertus.¹¹ *Humperdinck*, auctor operis¹² melici,¹² quod «*Ioannulus et Iuliola*» inscribitur, quidquid cogitaverat, sine ulla mora et haesitatione prolocutus est. Cui rei indicio est etiam haec, quae infra legitur fabella: Aliquando *Humperdinck* cum uxore compluribusque amicis in solario¹³ cuiusdam deversorii¹⁴ sedebat, cum repente uxorem appellat: «Dic mihi — inquit — sitne ibi, ubi tu sedeas, venti¹⁵ perflatus¹⁵»

Uxor tanto amore¹⁶ paene commota respondet: «Non est perflatus; ne minimum quidem, meum corculum,¹⁴ hic venti perflatum sentio.»

«Permutemus ergo inter nos loca — suadet maritus amantissimus —, quod hic talis est, qui ferri vix possit».

Vincentius Gombár Bp.

¹ zenélő óra = Spieluhr = pendule à musique ² anecdota ³ hangverseny = Konzert = concert ⁴ érdeklődés = Interesse = intérêt ⁵ hangversenyterem = Konzertsaal = salle de concert ⁶ zongoraszám = Klavierstück = morceau de piano ⁷ ráadás = Zugabe = supplément ⁸ dobogó = Podium = estrade ⁹ «Se non è vero è ben trovato» = si non est verum, bene est inventum. ¹⁰ csípőnyelvű = schnip-pisch = moqueur ¹¹ sinceres ¹² opera = Oper = opéra ¹³ napozó = Terrasse ¹⁴ szálloda = Gasthof = hôtel ¹⁵ lég-huzam = Luftzug = courant d'air ¹⁶ gyöngédség = Zärtlichkeit = tendresse ¹⁷ szivecském = Schatz = mon chéri



Joannes Brahms.

De Lottis.

Nuperrime plures dies Budapestini commorata est Francisca Luukkonen, quae collegio maximo Fennarum nationali a Lotta Swärd nominato praeest. Lotta Swärd maritum in bello a. 1788—90 liza¹ comitata est et etiam marito pro patria mortuo perrexit milites pugnantes adiuvare. Fennae etiam bello pro libertate patriae defendenda a. 1918 gesto voluntariae intererant, ex cuius experimentis a. 1921 factum est hoc collegium. Pars Lottarum aequae ac olim Lotta Swärd comitatum² providet exercitui. Fennae militum more sub³ divo³ in frigore inhumano cenam parant, panem coquunt⁴ et etiam glandibus⁵ stridentibus⁶ cibum calidum, in die ter coffeae et theae calidae portant militibus in prima acie pugnantibus. Sunt etiam Lottae sanitariae, quae omnibus necessariis instruunt casas chirurgicas, stationes primo auxilio ferendo, valetudinaria⁷ castrensia; in pugna vulneratos ad⁸ tempus⁸ fasciis vinciunt et a prima acie avehunt, quae omnia, sive



Cena castrensis Lottarum.

pyroboroli⁹ cadunt, sive horribili modo ningit, perficiunt. Sunt, quae in tractoriis¹⁰ se rebus administrandis dent, aut observatrices defensionis aerae sint, aut subsidia¹¹ curent. Lottae praesunt officinis telegraphicis, aliae muneribus meteorologicis et radio-phonis funguntur. Quia minimis tantum stipendiis publicis adiuvantur, et ipsae sibi omnia, quae opus sunt, comparare debent, sunt et «Lottae colligentes», quae stipem¹² collegio sustentando necessariam colligant. Praeterea locis multis rei publicae tabernas varias, cenatoria,¹³ deversoria¹⁴ habent et etiam tria acta diurna, eaque valde quaestiuosa¹⁵, quae Francisca Luukkonen moderatur, edunt.

Puellae Fennae ab octavo vitae anno se ad haec munera praeparant; in cursibus variis et in castris, ut aetate adultā officia patriae praestare possint, exercentur. Ab anno 8 usque ad 17 vitae in societati-bus, postea in societate aduitorum congregantur.

Ex enarratis intellegi potest, cur natio parva Fennorum tam mirabilia et in bello a. 1939, et diebus nostris perpetrare possint: Fennae a Carelia Orientali usque ad Petsamo, a fine Sueciae usque ad insulas Aaland vigilant et una cum viris, viros pro¹⁶ viribus¹⁶ omni modo adiuvantes, aequae fortes et admirandae, ac viri, collatis¹⁷ viribus certant pro libertate et religione patriae. Quae igitur etiam nobis, puellis Hungaricis, imitandae sunt. Dr. Elisabetha Nagy Bp.

¹ markotányosnő = Marktenderin = vivandière
² élelmezés = Verproviantierung = convoi de vivres
³ szabad ég alatt = unter freiem Himmel = en plein air
⁴ süt = backen = cuire ⁵ golyó = Kugel = balle
⁶ süvítése = schwirren = siffler ⁷ kórház = Kranken-

haus = ambulance ⁸ ideiglenesen = provisorisch = provisoirement ⁹ bomba = Bombe = bombe ¹⁰ iroda = Kanzlei = bureau ¹¹ utánpótlás = Nachschub = ressource ¹² pénzadomány = Geldbeitrag = contribution ¹³ étterem = Speisesaal = réfectoire ¹⁴ szálloda = Gasthof = hôtel ¹⁵ jövedelmező = einträglich = lucrativ ¹⁶ erejükhez képest = nach Kräften = dans la mesure de leurs forces ¹⁷ unitis.

Paracelsus in fabulis populi.⁽²⁾

Latine reddidit Ios Guelmino Bp.

Paracelsus in societate fuisse cum diabolo, saepe narratur in fabulis populi. Sic in quadam fabula aliquando, cum persecutores¹ eum insequerentur, se salvaturus diabolum² rogavit, ut sibi pontem per fluvium Oenum faceret. Et tantum sic, ponte edificato — labor autem tam durus erat, ut diabolus ipse sudore manaret — traiecit fluvium et liberatus est. Sic plurima gravissimaque pericula evitavit. Mortem autem certe non potuit evitare. Ioannes Nep. eques de Alpenburg, quomodo Paracelsus mortem³ obierit,³ sic enarrat.

Medici in urbe Oeniponto (Innsbruck) odium habebant in eum et invidabant ei. Consilium ceperunt igitur inter se, ut de⁴ medio⁴ tolleretur.⁴ Necem parabant ei, quippe qui bene intellegens, quid inter se herbae medicae sermocinarentur⁵ et sic medicinas optimas coquens, etiam homines secundum ceteros medicos iam morti destinatos vitae restitueret, famaque collegarum deminueret destrueretque. Sic contigit uni ex his medicis, ut occulte cibo eius venenum⁶ immisceret.

Quoniam autem e doloribus, quibus tum cruciabatur, optime scivit se venenum sumpsisse,⁷ mortemque appropinquare, araneam⁸ diademata⁸ cepit, cuius auxilio a morte se liberaret. Sed antequam cum aranea in cubiculum se recepisset, famulo severe praecepit, ne intra quinque horas cubiculum intraret. Tunc caute prompsit araneam et per os in ventrem demisit, ubi venenum colligeret. Tum aranea vere incubuit⁹ in operam⁹: in venenum colligendum. Et venenum collectum iam iam exportatura erat, cum famulus timens, ne forte quid mali domino intus accideret, intravit in cubiculum. Aranea strepitu terrefacta venenum, quod iam foras trahebat, manibus emisit et sic Paracelsus mortem effugere iam non potuit.

Neque autem succubuit sorti. Nam, quamquam mortem effugere iam non potuit, tamen, quomodo se in novam vitam resuscitaret, etiam nunc invenit. Sed priusquam hoc perfecisset, annotationes¹⁰ omnes suas artis medicinae, ne usui collegis essent, delevit. Postea liquidum illud, quo ad aurum effingendum¹¹ usus erat, in fluvium Oenum effudit, qui extemplo a fonticulo usque ad ostium¹² auricolor factus est. Et ex eo tempore etiam nunc apparet nonnunquam color auri in fluvio. Et tunc famulo advocato praecepit, ut corpus suum post mortem in partes minimas dissectum et pulvere quodam mysterioso bene inspersum in sepulchro conderet. «Si omnia bene perfeceris, dixit, praemium maximum accipies.»

¹ custodes publici ² ördög = Teufel = diable ³ mortuus sit ⁴ láb alól eltenni = töten = faire mourir ⁵ loquerentur ⁶ mérég = Gift = poison ⁷ bibisse, hausisse ⁸ keresztespók = Kreuzspinne = épeire diadème ⁹ neki fekszik a munkának = sich an die Arbeit machen = s'atteler au travail ¹⁰ feljegyzés = Aufzeichnung = note ¹¹ faciendum ¹² torkolat = Mündung = embouchure

Frustra autem famulus fidelis persecutus est mandatum domini, nam in corpore sepulto per novem menses occulte et inturbate servando fidem¹³ fefellit.¹³ Post septem scilicet menses, cupiditate actus, levavit operculum¹⁴ arcae¹⁴ et corpus, quod iam aliquantum concretere coeperat, aurâ externâ tactum, breviter desiit vivere. Et Paracelsus in perpetuum mortuus est. *Finis.*

¹³ nem tartja meg a szavát = sein Versprechen nicht halten ~ trahir sa foi ¹⁴ koporsófedél = Sargdeckel = couverte de cercueil.

LECTORIBUS MAIORIBUS

De Livio bimillenario.

Excellentis rerum Romanorum scriptoris dies natalis bis millies circumactus in toto orbe terrarum a viris doctis et eruditis celebratur. Sollemnia in Capitolio Romano initium auspiciantia iam peracta sunt. Sollemnium a Hungaris celebrandorum initium ab Instituto Culturae Italico, quod est in Hungaria, in Academia Scientiarum Hungarica captum est.

Sollemnibus postquam *Eugenius Balogh*, Academiae praeses secundarius praefatus est, *Aldus Bizarri* Instituti Culturae Italici rector primarius exposuit, quam grave momentum cultura Latina apud Europaeos habuisset. Post *Iosephus Huszti* professor universitatis (a. 1917—19 moderator IUVENTUTIS) «de Livio in Hungaria» praelegit.

Aetate, qua opus Livianum ortum erat, adumbratâ demonstravit partim rerum scriptores exemplum artis historiam scribendi inde sumpsisse, partim de rebus publicis meditantibus nationis suae erudiendae atque educandae efficax instrumentum visum esse. Profecto dignus est hic historicus, qui a cuncta Europa erudita et expólita celebretur, cum in historia ingenii conformandi Europaei Livius haud leve momentum fuerit. Et si ad nos quoque iam medio aevo eius auctoritas pervasit, tamen renatis demum litteris totam suam vim apud nos expromere coepit. Ioannes Vitéz primus humanistarum Hungaricorum, Livium dedifissimo studio legebat eique studendo diligentem operam navabat. Liviani operis quinque codices manu scripti asservabantur in bibliotheca regis Mathiae, qui eos assidue legebat, et constat non solum ad res militares cognoscendas, sed etiam ad vitae suae rationes et mores confirmandos et effingendos ei documento fuisse. Nec casu factum esse putandum est, ut Livius Hungaricus, id est Bonfinius ipse Mathia impulsore Livii more modoque res Hungarorum perscripserit. Livius a Bonfinio imitatus vix dici potest quantam vim ad posteritatem et posterorum rerum scriptores Hungaricarum habuerit. In scholis post renatas litteras legi non desitus est atque in fabulis, quae XVII et XVIII saeculis in scholis docebantur, complures viros fortes Livianos partes agere videmus. Atque Livius ne nostra quidem aetate in nihilum occidit. Nationes maiora sectaturae ideoque sibi onera et labores impositurae ex Livio discunt magnitudinem ac praestantiam cuiusque nationis ex religione, disciplina et virtute in vita nationis adhibenda et exercenda pendere.

Sollemnibus personam ministri publicae religionis et institutionis gerens *Iosephus Stolpa* secreta-



Classis VIII A) gymn. conf. Helv. Papa nsis JUVENTUTEM Igit. A sinistra prof. dr. Jos. phus Földy stat.

rius status interfuit. Etiam aderant duce *Aloysio Zambra* decano facultatis humanisticae professores et socii Academiae multi. Vicem legati Italorum in Hungaria *Doct. Orlandi* legationis secretarius gessit.

C. Á.

LVIII A. C. N. **Genava.**¹ MDCCCXLII P. C. N.

Hanc rerum, quae Genavae Romanorum aetate sunt gestae, brevem narrationem in germanicum sermonem diligenter convertendam virginibus puerisque doctis patriae nostrae, qui post duo milia annorum primam Genavae mentionem memoriae traditam sunt celebraturi, proposuimus.

DE ROMANA GENAVA.

Allobrogum gens nondum servitio fracta, cum continuationem tributorum, gravitatem foeneris et avaritiam praetorum tolerare non posset, arma, ut libertatem resumeret, saepius rapuit, sed semel atque iterum est oppressa.

Paulo post, Genava in rerum romanarum memoriam a Caesare est ascita, qui duodesagesimo ante Christum anno contra Helvetios in Allobrogum terras raptim effundentes celerrimo agmine exercitum duxit, pontemque in Rhodano factum inter-

¹ Hic commentariolus a quodam magistro Helvetio amico IUVENTUTIS nobis ad usum missus Helvetios etiam hisce temporibus studiosos latinitatis esse testificatur.



Regio Genavae: lacus Lemanus, castellum Chillon et mons Dent du midi 3260 m altus.

rupit; legionem autem pro ripa collocavit et hostium ingressus praesidiis intercipiebat.

Mox autem, Genava pro fortuna porrecta est; in planitie et ubi colles clementer adsurgunt, villae nonnullae multaeque domus sunt aedificatae; sic vicus ille coloniae Viennensis adolevit floruitque.

Cum autem per tria saecula Romam pii coluissent Genavenses, barbari subito in Galliam transcenderunt, ut relictis paludibus suis fecundissimum solum possiderent. Tum Genavenses in collem suum omnes convenerunt moeniaque iisdem vestigiis, quibus nonnullis saeculis ante Allobroges, sine mora exstruxerunt. Sic eorum oppidum, imperii Romani adversus barbaros propugnaculum, ut civitas habitum.

Post publicam Romae ruinam, Genava vetustate dignitateque tantum valuit, ut a Burgundiorum rege regni sedes eligeretur. Ita iam resurrexit antiquus ille vicus, qui multo post et cuiusdam christianae sectae et foederatarum orbis totius gentium caput nec non humanae inter arma cultae caritatis quasi signum monumentumque erat futurus.

Librorum recensio.

Varga László: *Németi Pál*, a debreceni kollégium latin diákköltője. Debrecen. 1940 Studium könyvkiadó r.-t. (Paulus Németi poeta Latinus scholasticus collegii Debrecinensis.) Pag 51. Pretium P. 4. Poëtarum Hungaricorum Latine canentium e noctis caligine in lucem protrahendorum munus sibi elegisse videtur Ladislaus Varga, qui Iohannis Hannulík egregii XVIII. saeculi poëtae vitam et carmina commentatione amplexus est. Nunc vero iterum unius ex poetis longa oblivione obrutis memoriam nobis redintegrait. Hic studiis Ladislai Varga redivivus exstitit poëta Paulus Németi, ingeniosus et sollertissimus versus Latinos pangendi artifex, quem nisi admodum iuvenis decessisset — natus Debrecini a. 1758, mortuus est ibidem a 1783 — maiora conditurum fuisse verisimile videt. Huius poëtae Ladislaus Varga primum vitam descripsit, post argumenta poëmatum proposuit, deinde quos antiquos et recentioris aetatis poëtas secutus esset, exposuit, trium denique librorum unumquodque carmen singillatim tractavit. Studiosos litterarum Hungarorum Latinarum ad hanc dilucidam et cognitu dignam po sim delegatos velimus auctoremque petimus, ut studia sua in eruendis scriptoribus Hungarorum Latinis collocata persequi pergat.

Révay József: *Ókori író* — mai olvasó (scriptor antiquus lector modernus). Budapest 1942. Parthenon. Pag.



Rectores Collegii Genavensis saec. XVI. (pinxit: Ferd. Hodler)

96. In recentiorum temporum serie saepe quaerebatur, immo etiam his nostris temporibus quaeritur, pertineantne Graecae Romanaeque antiquitatis scriptores ad nos, qui plus duobus annorum milibus posterius vivimus, ecquid oblectamenti aut utilitatis nobis suppeditent, excitentne animi nostri magnitudinem et ad se rapiant extollantne animi culturam reddantne mentes nostras sublimiores, atque nostrae aetatis lectores ex difficultatibus, quae propter longinquorum temporum implicatissimas nobisque alienas res iis oboriantur, se expedire possint. Auctor libelli istius ad has quaestiones respondet modoque Senecae epistolarum id est cum lectoribus familiariter confabulans. Iosepho Révay ductore itineris inter colloquia iucundissima omnes fere antiquitatis partes: historiam, litteras politicas, rhetoricam, philosophiam, cotidianam vitam, scientiam ac poesim, christianitatem antiquorum temporum perlustramus, ubique ex iis, quae nobis usui et delectationi atque incitamento sentiendi ac cogitandi esse possint, arripientes. Libellus tamquam condimentis exquisitissimis antiquorum scriptorum sentiis perspersus est semperque, si quae exstant, interpretationes scriptorum Graecorum et Latinorum, Hungaricae afferuntur, quarum penuria pro! haud exigua est. In hoc quoque libello scriptoris nostri mira, qua obscurissimae et abstrusissimae res lucem nanciscuntur, explanationis et evidentiae vis in disserendo admiranda est et laudanda.

Car. Ács Bp.

Riccardo Bacchelli: *Bella Italia*. (Novelle, fiabe e racconti.) Milano, Ceschina. 1928. — Multum nos iuvat animos lectorum ad opus advertere Riccardi Bacchelli, celeberrimi membri Academiae Italicae, qui autumnus anni praeteriti Budapestini commoratus est. Tunc temporis de antiqua humanitatis traditione genereque scribendi Leopardiano in nostra urbe diversisque Hungariae oppidis disertissime scholas habuit. Opus eius, quod *Bella Italia* inscribitur, eundem ut eminentissimum scribendi artificem repraesentat. Volumen istud non tantum purus subtilisque flos ingenii Italici nobis apparet, sed etiam spiritum occultum vitae terraeque Italiae manifestat. Auctor cum monumentis adulescentiae adductus saepius Bononiae regionumque ei adiacentium recordatur, tum multas impressiones septentrionalibus meridionalibusque Italiae partibus comparatas enarrat. Fabellae de itinere in montem Aetnae vix alia ex litteris omnium gentium par esse videtur. Item mens capitur navigatione ad insulas Liparinas (regna Aeoli Vulcanique) descripta. Quod ad homines attinet, imprimis de rebus adversis misellorum refert. Plasticum uberumque linguae thesaurum concinnosque eiusdem numeros adhibens auctor integra humanitate insignis realistico, immo nonnunquam veristico dicendi genere utitur. Dubium non est, quin Riccardus Bacchelli iam primatum quandam in Parnasso Italico assecutus sit.

Dr. Iulius Kováts Bp.

Alex. Petöfi: *Ludit terra vetus* . . .

(Hexametri divisi.)

*Ludit terra vetus
Solis radio iuvenili,
Nugantur lascive
atque oscula dantque feruntque.*

*Undis Danubii,
convalle et monte locorum,
Turribus ardescunt
que fenestris oscula ubique.*

*Sol oritur laetus
laetaturque occiduus Sol,
Ac si non tumulum,
dulcis, tuum, Etelka, videret.*

Ladislaó Juhász Szegedinensi interprete.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri V. (m. Jan.): 1. Amor, mare, orat, rete. — 2. Inter duos litigantes tertius gaudet. — 3. Cnaeus Pompeius Magnus. — 4. Mater. — 5. Audite pueri, imus ad funera. Ite ante nos, nos imus post vos. — 6. Tabernarius 7 ova habuerat, primus emptor 4, secundus 2 ova, tertius unum emit. — 7. Canis. Alia, nix, ia, s. — 8. Mus, Musa. — 9. Si vis. Conscia. Imperare. Parva. Inter. Oderint: Scipio.

Aenigmata recte dissolverunt: V. Árvay, Pr. Baráth, M. Bartha, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, T. Elekes, L. Faust, N. Horváth, Gr. Kerényi, E. Kis, M. Kossaczky, E. Madocsay, I. Ruitz, E. Somogyi, **Agnes Sziberth**, I. Vaszko (*Sziligyianum*), G. Moldoványi, **Emericus Schumi-ky (Verbőczyanum)**, sorores Dischka, G. Germán, Cl. Lesskó, G. Marosszéki, L. Rakovszki, M. Révy, A. Fridli, C. Ludwig, S. Szalay, A. Kádár, **Maria Horváth**, E. Bányai, M. Blandl, S. Mihályi, A. Salamon, E. Szál, A. Takáts, M. Göntér, H. Trombitás, A. Úrményi, S. Holbay (*Angelanum*), D. Barabás, Al. Ganz, A. Hirschfeld, G. Karádi, E. Kiss, J. Kocsár, G. Lovas, **Rudolphus Mitinszky**, L. Molnár, St. Müller, M. Nagy, Al. Papp, G. Peschka, L. Rupp, Th. Schmejkál, R. Szamek, L. Tóth, J. Tutschek, J. Varényi, L. Vince, J. Wangler, J. Wittek (*Arpadianum*), G. Binder, St. Grosz, St. Gyökér, **Georgius Kozma (Scholae Piae)**, **Ilsa Mosonyi**, (*Giselanum*), E. Bra-mer, E. König, C. Osváth, A. Szász, C. Szécsi, **Magdalena Fendrich**, S. Frank, J. Györgyey, E. Hartmann, E. Schlinger, V. Abonyi, C. Guttmann, C. Pogány (*Veresianum*), E. Bánlaky, E. Battlay, M. Bókay, C. Dobó, M. Farkas, M. Hankovszky, E. Kolozsár, I. Ajtay, M. Árvay, sorores Bolza, E. Belle, A. Bródy, M. Demkó, M. Frank, E. Geró, E. Hajós, E. Keresztes, S. Kéler, E. Kiszely, M. Kmetty, L. Lippert, **Eva Miskey**, A. Pálffy, U. Szesztopal, C. Szabolcs, M. Szalay, M. Wahlner, M. Ziegler, E. Binder (*Sophianum*), Z. Bíró (*gymn. Conf. Helv.*), B. Árkosi (*gymn. Cisterciensium*) *Budapestinenses*. — **Ernestus Keller Dombovariensis**. — L. Horti, V. Bitskey, **Ladislau Redler**, Z. Tátrai *Jászberényenses*. — **Otto Bakos**, E. Bognár, L. Bolváry, D. Csere, C. Gombkötő, L. Linka, L. Solymosi, St. Szabó, St. Tircsi, **Carolus Varga, Colocenses**. R. Ervin, **Josephus Szathmári**, (*gymn. Unit.*) *Claudiopolitani*. — St. Bösze, **Franciscus Horváth, Ginsienses**. — O. Pollagh, Eu. Ivánffy, J. Mikita, **Paulus Hulják**, (*Fraterianum*) *Miskolcienses*. — **Fridericus Kreiner**, (*Scholae Piae*) *M. Canisanus*. — M. Csengery, L. Csurilla, M. Koch, M. Krajcsik, J. Molnár, A. Nagy, H. Pintér, V. Schág, P. Szinay, E. Tóth, I. Szabó, **Helena Csák**, C. Gombos, H. Kántor, E. Bagossy, Cl. Kató, M. Török (*Sziligyianum*) *M.-Varadinenses*. — Z. Gaál, L. Balogh, Th. Bálint, A. Berecz, **Emericus Boross** L. Nemesvölgyi, O. Pálos, P. Szabó, L. Vattay (*Maurinum*) *Papaenses*. — **Stephanus Kalamár**, A. Hartmann, Z. Linka (*Pianum*) *Quinqueeccle-sienses*. — **Béla Laczko**, J. B. Bibor, L. Béles, Fr. Matyó *Pestszlőrincienses*. — **Margarita Kontor**, M. Finda, I. Tóth, M. Farkas, S. Gróf, E. Jakfalvi, H. Lékay, P. Corà (*Angelanum*) *Scarabantinae*. — **Andreas Horváth**, (*Klauzalianum*) *Szegedinienses*. — **Stephanus Berényi**, J. Bugyi, J. Feuerer, St. Garamvölgyi, M. Kanász, C. Kiss, L. Knap, J. Lakos, Aem. Laukó, C. Mészáros, A. Mátéfy, A. Mucsi, G. Novo-baczky, St. Orgován, St. Udvardi, Fr. Váczi, St. Vass, St. L. Csernus, L. Kovács, **Emericus Molnár**, A. Brusznay, St. Erki *Szentesienses*. — M. Böhm, **Eva Takáts**, *Zalaegerszegienses*. — **Maurus Martignoni**, *Lucanensis* (Helvetia). Crassae literae indicant eos, quibus praemia ab Societate Mag. Cath. Med. Schol. donata sorte obvenerunt.

1. Logogriphus.

Primâ parte rogas, est vile nomisma secunda,
hinc totum nascens — est fluvialis avis.

Fr. Palata Moravus (Trebitsch).

2. Quadratum magicum.

1	2	3	4	
1				A A E E 1. Sidus terrae proximum.
2				O O U U 2. Culeus.
3				L M N N 3. Nullus.
4				N R R T 4. Frater Mosis.

Phil. e com. Merán disc. Piani (Quinqueecl.).

3. Angulus magicus.

A	A	A	A	I	1. Animal domesticum.
I	C	M	M		2. Diligis.
N	N	S			3. Enim.
S	S				4. Pronomen determinativum.
S					5. Consonans.

Eva Brámer disc. Veresiani Bp.

4. Pyramis.

1	Consonans.
2 1	Pronomen determinativum.
3 2 1	Causa iudicialis.
4 3 2 1	Provincia in Peloponneso.
5 4 3 2 1	Forma verbi <i>velle</i> .

Maria Böhm disc. Zalaegersregiensis.

5. Aenigma rotundum.



Si recte inveneris primam literam, circumiens quaere tertiam quamque literam, dum maximum poetarum Romanorum accipias.

Catharina Ludwig disc. Angelani Bp.

6. Ad saltum equulei.

		pla-		
le	ho-	sar,	sis	bi
	trum	vel-	ce	
ter	Cae-	mo.	ti-	al-
u-		NII		re
deo,	a-	um	bus	ni-
	re,		nec	
	stu-	an	mi-	
		sci-		


Hoc aenigma recte solutum pulchros versus Catulli dat.

Maria Horváth disc. Angelani Bp.

7—8. *Rebus.*


RES RES
R PA PA PA
E modus E
S NOS NOS NOS

RES RES
Frid. Kreiner disc. Schol.
Piarum (M.-Canissa),
Lad. Harsányi disc. Maurini
(Pápa).

9. *Pecten.*

1. Tela, instrumenta. 2. Providentia, dolor. 3. Prae-positio. 4. Numerus. 5. Dicitur, si quis abit. 6. Dativus maximi sideris. — Si lacunas recte expleveris, litterae supremi versus casum declinationis notabunt.

Georgius Timár disc. Verbőczyani Bp.

10. *In modum catenae.*

Nectendae sunt hae syllabae:
«da, le, ma, mo, ro, re, ra, te»,
Ut binis fiant nomina,
Quae poscit haec sententia:

1—2. Saepe periculum affert. 2—3. Non saepe. 3—4. Urbs aeterna. 4—5. Non bene. 5—6. Mater Helenae Pulchrae. 6—7. Donare, largiri. 7—8. Instrumentum piscatoris. 8—1. Pars prima cursus.

Joannes Szendrei disc. Makonensis.

11. *Ex sententiis supplendum.*

-, qui trans mare currunt.
- et dissipati sunt.
- virtute metimur, non fortuna.
-, ne possit cernere verum.
- insequens neutrum capit.
-, quo facilius ab imperitis teneatur.
-, tamen est laudanda voluntas.
- longe est difficillimum.

Litterae initiales sententiarum expletarum clarum duces Romanum indicant.

Lad. Borostyánkőy disc. Verbőczyani Bp.

12. *Ex litteris.*

PITPURE: Pater deorum antiquorum.
RUCILUS: Praenomen christianum.
CAVAC: Animal domesticum.
RATEX: Praepositio.
TUNIMOR: Rex Albae Longae.
BITISER: Fluvius maximus Latii.
RUSA: Bestia fera.
PETMES: Numerus.


Si ex litteris recte dispositis verba composueris, litterae initiales rem nobis caram dabunt.

Gabriel Tánzos disc. gymn. Cisterciensium (Baja).

Nota. Lectoribus minimis: 1—8, mediis et maioribus 9—12. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner* (Budapest, XI., *Lágymányosítca* 20.) mittant.



Corrigenda numeri 6 (Febr.): pag. 50: pro: «Lybia» lege: Libya. — pag. 53: pro: «fertura» lege: latura. — pag. 56: prima series *Crucigrammatis* sic corrigatur:



M. B. Nunc 218 Discipuli aenigmata dissolverunt. Quis vacat tot diplomatibus laudatoriis scribendis? Sed ut tibi satisfaciam, iterum nomina omnium, qui aenigmata dissolverunt, publico. — *Compluribus.* Crypta familiae Perényi, cuius epitaphium mutilatum explendi causa certamen poëticum nuper (pag. 52) proposuimus, sicut in libro supra dicto Antonii Szirmay legitur, in templo parochiae Sárospatakiensis custoditur. — *Mense Februario* 39 socii discipulique opuscula varia ad me miserunt. Quibus omnibus hic respondere non possumus. Frustra me nonnulli impatienter urgent, ut manuscripta sua statim edam. Quo quis breviora temporisque aptiora scribit, eo magis sperare potest fore, ut opusculum ad me missum edatur. — *Ios. M^o Iiménez* (Hispania). Pro gratulatione humanissima gratias quam maximas agimus. Faveat Deus Oipotens etiam Tuis conatibus, qui effecisti, ut *Palaestra Latina* resurgens XII-um iam annum ageret. Ad multos annos! — *St. Majtinszky.* Sero de Livio scripsisti.